



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCLXI. Aequatio patrimoniorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

cives satis est. Ac nihilominus quod in istos impendo, si creditis, ipse frugalius vivo. Quicquid in hos confertur atque congeritur, de meo est: detrahitur adolescentiæ voluptatibus, detrahitur concessis: alioqui quandiu in his annis sumus cupiditatum, duo simul assequor: quod & liberalius & frugalius vivo.

## CCLXI.

*Æquatio patrimoniorum.*

In qua civitate frequenter Tyranni erant, fert quidam legem, ut patrimonia æquentur.

## S E R M O.

*Hæc quoque aliquotiens tractata controversia est, & per summas digeri potest.*

## D E C L A M A T I O.

**P**rimum incusamus legem non satis significanter scriptam, & multa obscura in se habentem. Nam hoc non satis distinxit, utrumne patrimonia nunc demum æquari oporteat, an quotiens aliquod eminebit: an si vere remedium id solum pro Republica est, perpetuum esse debeat: & ideo lex repudianda, quia hoc non satis dispexit. Si hæc vis est legis istius, <sup>1</sup> ut sit de æqualitate patrimoniorum: idem census omnibus detur: omnes pene dies, omnia tempora necesse erit in hac partitione consumi, <sup>2</sup> si quis frugalis vixerit, si quis luxuriosus vixerit. Est præterea contra leges omnes scripta hæc lex. Quippe nullum jus non ita compositum est, ut suum quisque habeat, & alieno absteineat. Sed ne servari quidem potest. Quid enim futurum est? <sup>3</sup> Prætereo illud, quod aliqui negociabuntur, aliqui acquirant, aliqui frugaliter vivant? Quæ ratio relinquendæ hereditatis erit? quæ ratio testamentorum? cum is qui cre-

verit

<sup>1</sup> Ut sit de æqualitate patrimoniorum.] Sensus flagitat: ut sit semper æqualitas patrimoniorum. Idem.

<sup>2</sup> Si quis frugalis vixerit.] Forte: ut

quis frugalius ceteris, ut quis luxuriosius vixerit. Idem.

<sup>3</sup> Præterea illud.] Emenda, præter illud. Pithæus.

verit hæreditatem, continuo non plus sit habiturus, quam cæteri, & divisurus cum his, qui non eundem honorem supremis defuncti tabulis habuerunt? His adjiciamus, quod etiam inutilis est, duabus præterea causis. Nam & frugalitatem eorum, qui servaturi sunt imminuet, & luxuriæ eorum, qui consumpturi sunt, prospiciet. Cur enim quisquam servet, tam perditurus aliena luxuria, quam sua? Cur enim non quisquam abutatur? Hæc de ipsa lege dixisse satis erat, remota temporum æstimatione: Nunc videamus quid sit propter quod ponatur. Frequentes Tyranni sunt. Primum, quam iniquum est: ideo quod aliquos improbos habeas, exui patrimoniis paternis atque avitis: eos etiam, quos bonos esse cives <sup>1</sup> constabit? Nam si tyrannidem timemus: erat aliquanto æquius in personas eorum, qui possent Reipubl. esse suspecti, dirigi actiones: quam pœnam esse publicam, metus (ut dicitis) publici. Adjice, quod ne præcipua quidem causa est affectandæ tyrannidis, magnitudo facultatum. Quin ex diverso facilius aliquando occupaverint tyrannidem hi quorum fracta ratio, quorum clauda fortuna, & qui stare Republica salva non possunt. Deinde adeo non inhibetis ista re tyrannidem, ut si qui in civitate nostra dementes sunt, etiam causam habituri sint affectandæ tyrannidis. Nam si quis tyrannidem occupat, ut aliena bona possideat, quanto facilius ad tyrannidem perveniret, ut sua vindicer, sua recipiat?

CCLXII.

<sup>1</sup> *Constabit.*] Adjicit unum exemplar, *ejicere?* Pithœus.